

**dotem admonemus, non sibi demum soli vivendum sancte: ipse enim vero est operarius quem Christus exiit . . . . conducere in vineam suum (1).** Ejus igitur est fallaces herbas evellere, sero-  
re utiles, irrigare, tueri ne inimicua homo supereminet zizania. Cavendum propterea sacerdoti ne, inconsulto quodam intimis perfectionis studio adductus, quidquam prætereat de munieris partibus quæ in aliorum bonum conducent. Cujusmodi sunt verbum Dei nuntiare, confessiones rite excipere, adesse infirmis præsertim morituris, ignaros fidei erudire, solari mœrentes, reducere errantes, usquequaque imitari Christum: *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppresum a diabolo (2).*

Inter hæc vero insigne Pauli monitum sit menti defixum: *Negque qui pluunt est uliquid, negque qui rigat: sed, qui incre-  
mentum ducit, Deus (3).*

Liceat quidem euntes et flentes mittere semina; liceat ea labore multo fovere; sed ut germinent edantque optatos fructus, id nempe unius Dei est ejusque præpotentis auxilii. Hoc accedit magnopere considerandum. nihil præterea esse homines nisi instrumenta, quibus ad animorum salutem utitur Deus; ea oportere idcirco ut apta sint quæ a Deo tractentur.

Qua sane ratione? Num ulla putamus vel insita vel parta studio præstantia moveri Deum ut opem adhibeat ad suæ gloriæ amplitudinem? Nequaquam: scriptum enim: *Que stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibiliu elegit Deus, et ea que non sunt, ut ea que sunt destrueret (4).*

Unum nimirum est quod hominem cum Deo conjungat, unum quod gratum efficiat, atque non indignum ejus misericordiae administrum: vitæ morumque sanctimonia. Hæc, quæ demum est supereminens Jesu Christi scientia, sacerdoti si deicit, desunt ei omnia. Nam, ab ea disjunctæ, ipsa exquisitæ doctrinæ copia (quam Nosmetipsi nitimus in clero provehere). ipsaque agendi dexteritas et sollertia, etiamē emolumenti aliquid vel Ecclesiæ vel singulis affere possint, non raro tamen detrimenti iisdem sunt debilis causa. Sanctimonia vero qui ornetur et affuat, is quam multa possit, vel infimus, mirifice salutaria in populo Dei aggredi et perficere, complura ex omni ætate testimonia loquuntur: præclaræ, non remota memoria, Joannes Bapt. Vianney, animarum in exemplum curator, cui honore Cælitum Beatorum Nosmet decrevisse lætamur. — Sanctitas una nos

(1) Matth. XX, 1.

(2) Act. X, 38.

(3) I. Cor. III, 7.

(4) I Cor. I, 27, 28.